



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Festum S. Angeli Custodis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

FESTA MOBILIA. 7

dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonicorum collegio uni suavit. Is tunc Io. Lanfenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et forte dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolfenæ Sacerdotis. sacrificantis mencem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia. Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquam quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scaterere sanguine calix, & effundere se hic in aræ linthea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener Sacram.*

Christiane, qui se hic tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: audisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivii. S. Pet. Chryf. f. 95.

FESTUM S. ANGELI CUSTODIS.

DA mihi Arge, ô Angele mi, da penam vel unam è tuis, quâ laudes tuas

A 4

fcri-

§ FESTA MOBILIA.

scribam. Sedô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos uni-
ce! Infanti sinum, puero manum dedi-
sti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba
formare, & nunc Patrem in cælis J E-
S U M, nunc Matrem M A R I A M clamare,
tu nunc artes humaniores, nunc iëve-
riores docuisti, ô doctor fidissime! Tu
in bivio vitæ dubio viam Mercurius
monstrasti, præisti, duxisti, insidias
dutexisti, in hospitium ô quale intro-
duxisti, dux fidissime! Sed vin' com-
pendium tuarum dem laudum? morituro
quotidie aurem vellicas: irati iudicis
timere vultum doces: mones præcipitia
infera cavere, cæli ardua digito osten-
dis, ad hæc expetenda cogitationibus
animum adhortaris, & fatigatum ma-
nu ducis, succumbentem portas, æ-
grum foves, impugnatum propugnas.
Illud quantum est; quòd, nisi ego te
vividus, tu etiam mortuum non es deser-
turus. O mi Arge! ô Angele mi! cur
ut laudes tuas scriberem, pennam è
tuis unam aliquam non dedisti? Sed eja
hanc meam cape, & si placet, M A G N æ
V I R G I N I S, cui uni laboravit, pedi-
bus substerne. Ut multæ aliæ tam altum,
certè altiùs nulla volaverit penna.

*Noli ô homo Conditoris tui negligere
munus; noli custodis tui Angeli benevolen-
tiam spernere, parvi pendere ministerium,
suffra-*

I. Ian. VITÆ SANCTORUM. 9
suffragium abjicere, & ignorare consi-
lium. Sta super custodiam tuam: Tibi
assistunt Angeli; à dextris boni, à sinistris
mali, S. Laur. Iust. de vit. sol. c. 16.

CIRCUMCISIO DOMINI.

I. Iannarij.

Ut ego te exosculor diem candidissi-
mum! ô fidus! ô JESU Nomen! Ite
jam astrorum arbitri, dicite sanè fata-
lem hanc mihi stellam esse, horoscopum
meum esse, ab hâc vitam meam, vitæ
studia, mortem, omnia dependere.
Rectè. Quidquid igitur agam, JESU
auspice agam Vigilabo? in oculis JESUS
erit. Dormiam? JESUM somniabo?
Ambulabo? comes JESUS ibit. Sede-
bo? latus claudet JESUS. Studebo?
JESUS erudiet. Scribam? calamum cum
manu JESUS ducet, & JESUS JESUM scri-
bet. Orabo? verba JESUS formabit, ani-
mabit JESUS. Fessus ero? recreabit JESUS.
Esuriam? sitiam? JESUS pascet, ille po-
tabit. Agrotabo? Amor aderit medicus,
JESUS. Moriar? JESU immoriar meo.
JESUS supremis labris natabit. JESUS o-
culos claudet. JESU sinus mihi tumulus,
tumuli inscriptio JESU nomen erit. Sed,
heu mihi? mi JESU! Amor meus! quid
video? quod si vitæ tuæ aurora tam multo-
cruore jam rubet; quàm largos imbres
sanguinis in sero vitæ vespere dabis, ô Sol
meus!

A 5